



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Chronicon Cisterciensis Ordinis**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Epistola VValteri Episcopi Cabilonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11259**

apud sæculū, si isti quasi singulares & noui  
monachi inter eos habitare videātur. Qua-  
propter desideratissimam nobis Paterni-  
tatem vestram humiliter & cum fiducia  
deprecamur, vt fratres istos totam spem  
suam in vobis per Dominum ponentes, &  
idcirco ad Apostolatus vestri auctorita-  
tem confugientes, benignè pro more ve-  
stro respiciatis, & eos & locum istorum ab  
hac infestatione & inquietudine liberan-  
do, auctoritatis vestræ priuilegio munia-  
tis, ut potè pauperes Christi, nullam contra  
suos æmulos diuitijs vel potentia defensio-  
nem parantes, sed in sola Dei & vestra clem-  
entia spem habentes.

EPISTOLA VVALTERI EPI-  
scopi Cabilonensis.

**V**ENERABILI Patri Papæ Paschali,  
*Vvalterus* Cabilonensis Episcopus  
salutem, & debitam subiectionem. Sicut  
Sanctitas vestra, vt fideles in vera religione  
proficiant, ardenter desiderat, sic eisdē ve-  
stræ protectionis umbram, vestræq; con-  
solationis fomentum deesse non expedit.  
Suppliciter ergò petimus, quatenus quod  
factum est de fratribus illis, qui arctioris  
vitæ desiderio à Molismensi Ecclesia, san-  
ctorum virorum cōsilio, recesserunt, quos  
in nostro Episcopatu diuina pietas collo-

## CHRONICON

cauit, à quibus transisse præsentium litterarum baiuli vobis præsentes adstant, secundum prædecessoris vestri præceptum, & Lugdunensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis tūc Legati & Coepiscoporum & Abbatum definitionem & scriptum, cuius rei nos præsentes, & eius auctores cum aliis existimus, vos approbare, & vt locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, saluatamen vestræ personæ, successorumque vestrorum canonica reuerentia, auctoritatis vestræ priuilegio corroborare dignemini. Sed & Abbas quem in eodem loco ordinauimus, & cæteri fratres totis viribus hanc confirmationem in suæ quietis cautelam à vestra flagitant pietate.

## PRIVILEGIVM PASCHALIS II, Papæ Cistertiensibus datum.

*Exstat &c.  
apud Ba.  
zonium  
com. 12. L* PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili Alberico noui monasterij Abbati, quod in Cabilonenfi parochia situm est, eiusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Desideriū, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatatione complendum. Vnde vos, ô filij in Domino dilectissimi, citra difficultatem omnem, vestrarum precum petitionē admittimus,